

& ualorem, & eius negocia dirigentur, multos amicos ipsum diligentes habebit, erit completus, & bonæ famæ. Et si Venus in hoc infortunata fuerit, & aliquod testimonium habuerit in radice, uel applicatione, in periculo moriendi illo anno erit.

Si Iupiter in reuolutione ad locum Mercurij radice peruenit, natus ascendet ad intellectum, doctrinam, sapientes, nutrices, & seruietes, fortunabitur negocium, & domus eius, augebitur in precio, & ualore. Et si Iupiter in hoc fuerit dñs mensis, aut ascendentis radice, uel reuolutionis, crescent eius bonæ significationes prædictæ.

Iupiter in reuolutione ad locum Lunæ radice ueniens, significat foelicitatem nati in statu, negotio, & corpore suo, & incrementum in substantia, bonis, filijs, & lætitijs. Et si Iupiter in reuolutione aspexerit locum Lunæ radice, uel ei iungetur, & fuerit Iupiter in bono loco, exhibet de miseria, & necessitate, si erat in ea, & fortunabitur negocium, & corpus eius.

Iupiter in reuolutione anni, si ad ascendens radice peruenit, uel ad signum quintæ domus radice, uel ad eorum dominos, aut ad locum Veneris, uel ad locum Lunæ, aut ad partem filiorum, uel coniungetur alicui horum, uel eos aspexerit de bono aspectu, illo anno natus filium habebit, de quo lætabitur, si generandi filios significationem habuerit in radice.

### De reditu Martis.



**V**ANDO Mars peruenit in reuolutione ad locum in quo fuit Saturnus in radice, fortunabitur natus in amicis, & faciet itinera breuia. Et si Mars cum hoc testimonium habuerit in reuolutione, petitiones, & eius negocia, tardabuntur. Et si Saturnus testimonium habuerit in reuolutione, minuit malum Martis, quia dissoluit quod ligat Mars, tarditate, & frigore suo, accident tamen ei anxietates de uulneribus, & percussionibus, & si acciderit in anno in quo applicat Mars ad locum Saturni, quod similiter Saturnus applicet ad locum in quo fuit Mars, significat quod fugiet illo anno de terra sua.

Si Mars in reuolutione ad locum Iouis radice transferatur, natus ibit itinera profectuosa, lucrabitur ratione bestiarum, & animalium, & forte filium habebit. Maxime autem erunt hæ significationes, si ascendens radice, aut signum applicationis anni (id est signum ad quod est profectio ascendentis eodem anno) uel ascendentis reuolutionis fuerit domus alicuius eorum.

Mars in reuolutione ad locum suum in radice recurrentes, si fuerit idem locus aliquis angulorum, & habuerit aliquod testimonium in reuolutione, & significauit in radice bonum, habebit illo anno ualitudinem, bonum, & lucra ab armigeris, & si aspexerit ascendens, aut signum applicationis, significat itinera bona, augmentum in hominibus, & societate, ac potentia, & si cadens fuerit ab aspectu applicationis, & aspectu ascendentis, & habuerit testimonium in reuolutione, habebit bonum per magisteria ferri, uel per sanguinem, aut simile quiddam.

Marte in reuolutione diurna iuncto cum Sole, nato accident tristitia & labores ex parte regis, & infirmitates calidæ. Et si Mars fuerit, & cum hoc dominus anni in signo calido, & sicco, accidet ei magnum impedimentum, & periculum per calorem, aut ignem. Et si fuerit in signo communi, forsitan occidetur. Et si cum hoc reuolutio fuerit nocturna, omnes hæ significationes erunt minores, & leuiore.

Si uenerit Mars in reuolutione ad locum Veneris radice, Versabitur natus in libidinibus cū mulieribus, & ex illis multas habebit, eueniet ei labor aliquis propter eas, multos habebit amicos, dilectus erit, & completus, & bene famosus inter homines. Et si Mars in reuolutione anni habuerit testimonium, infirmabitur ex superflua

com.